



**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1740

§. I. An, & quomodo bonorum temporalium possessio pugnet cum Voto
Religiosæ paupertatis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

nunt, partim in hoc libro sparsim dicta, partim dicenda, partim ex statutis singulorum Ordinum, & particularibus Regulis petenda sunt.

§. I.

An, & quomodo bonorum temporalium possessio pugnet cum Voto Religiosæ paupertatis?

SUMMARI A.

1. Bonorum possessio, & dominium in communi cum voto paupertatis stare potest. 2. Subjiciuntur duo notabilia. 3. Religiosi in particulari dominum rerum temporalium habere nequeunt, votifragi variis pœnis afficiuntur. 4. Potest tamen non modo Prælati, sed aliis quoque Religiosis bonorum temporalium administratio committi. 5. Possè Religioso privato peculium cum venia superioris ad usus honestos concedi multorum est Sententia. 6. Negativa non pauciores numerat. 7. Qui tamen rerum mobilium usum cum licentia superioris concedi possè admittunt. 8. Prædicte quid tenendum, ex doctrina Card. de Luca exponitur. 9. De deposito Religiosorum remissivè.

QUod bonorum temporalium possessio, & dominium in communi Religionis perfectioni non officiat, nec voto paupertatis Religiosæ labem inferat, concors est DD. Sententia cum S. Thoma 2.2. Q. 188. art. 7. C. & expresse ita definitum est in Concil. Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 3. his verbis: *Concedit S. Synodus omnibus Monasteriis & domibus tam virorum, quam mulierum & mendicantium (exceptis domibus S. Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minorum de observantia vocantur) etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum (ut olim PP. Dominicanis teste Zypæo in Analys. ad tit. de Regular. num. 44.) aut ex Privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.* Ratio est, quod ejusmodi bonorum temporalium pos-

sessio in communi non implicat animos Religiosorum nimia, & superflua sollicitudine, inordinato amore, aut gloria inani & elatione animi, cum hæc cura temporalium non afficiat singulos de communitate, nec illis etiam, qui harum rerum administrationi, sive dispensationi præpositi sunt, offenculo est, siquidem illa sollicitudo, quam ex officio circa hæc bona gere-re debent, ad conservationem, & sustentationem communitatis tendit, atque adeo ex charitate DEI & proximi procedit. Unde porro consequens est, quod possessio horum bonorum in communi cum voto paupertatis componi possit, dum hoc voto non omnis sollicitudo temporalium excluditur, sed nimia, superflua, & quæ vel inordinatum divitiarum sui que ipsius amorem animis ingerat, vel ad inanem glo-

gloriam, elationemque animi extimulet, & accendat. Vid. S.D. *loc. cit.* Eximius P. Rottner *de stat. Religios. quest. 3. art. 1. §. 3.*

- 2 Circa prædicta duo notabis I. quod sub *Minoribus de observantia* in ordine ad bonorum incapacitatem etiam in communi non comprehendantur *Moniales S. Clare*, ut testantur Barbof. in *Collectan. ad cit. cap. Conc. Trid. n. 6.* § 7. Zypæus in *Analys. ad tit. de Regular. num. 44.* referens declarationem Congregationis Concilii de Año 1591. die 26. Martii. II. Nec dominium in particulari, ut vocant, *clausulatum*, cuius scilicet exercitium à nutu & voluntate superiorum dependet, statui Religioso, & voto paupertatis contrariari, ut docet nos institutum *Societatis Jesu*, in qua Scholastici, & Coadiutores, ut vocant, post exactum Novitatus biennium retinent dominium suorum bonorum, sine usu tamen libero, sed à superiorum consensu, & voluntate penitus dependente. Ut fufius declarat Lessius de *J. & J. lib. 2. cap. 4. dub. 5. n. 22.* & *cap. 41. dub. 9.* Card. de Luca in *annot. ad Concil. Trid. discurs. 35. num. 11.*

- 3 De Religiosis in particulari certum est, quod citra voti paupertatis læsionem nullam rem temporalem tanquam propriam, aut propria auctoritate detinere, ejusve usum à superiore independentem habere possint, per *cap. 11. C. 12. Q. 1. cap. 5. de Regular. cap. 6. h. t.* in quem finem, ut detestabile hoc vitium proprietatis penitus eliminetur è claustris, variae per SS. Canones in violatores paupertatis decretæ sunt poenæ, & quidem poena privationis vocis *activæ*, & *passivæ* per

biennium quoad omnes actus Capitulares à Concil. Trid. *Sess. 25. de Regul. cap. 2.* ubi insuper jubentur ejusmodi proprietarii juxta suæ Regulæ vel Ordinis Constitutiones puniri. Et si in hoc vitio proprietatis decesserint, sepultura Ecclesiastica privandi sunt, *cap. 6. h. t.* imo sepulti in loco sacro iterum exhumandi, & ab Ecclesia projiciendi *cap. 4. d. t.* quin etiam in sterquilinio tumulandi juxta exemplum S. Gregorii *lib. 4. Dialog. cap. 10.* cum pecunia, vel re propria reperta, non tamen in quantitate magna, sed pro parte tantum ad terrorem aliorum, ut notat Joan. Andre. *ad cit. cap. 6. h. t. num. 4.* & Panormit. *ibidem num. 15.* Interim bene notat Barbof. *ad cap. 4. h. t. num. 2.* ad prædictas poenas incurrendas non sufficere præcise, quod pecunia, vel alia res pretiosa apud Religiosum reperta fuerit, sed cognosci prius debere, & constare, quod eam ut propriam tenuerit, neque factum tale à violatone paupertatis excusari ullatenus possit.

Quamquam vero dominium vel proprietatem habere prohibeantur Religiosi vel Monachi, nihilominus administratio bonorum Monasterii, sicque peculium improprie tale, non tantum Prælati, sed cum eorum venia etiam Oeconomis & Officialibus concedi potest. Hæc Conclusio rursus est certa per *cap. 2. V. qui vero peculium h. t.* Concil. Trid. *cit. cap. 2.* ibi: *administratio autem bonorum Monasteriorum, aut Conventuum ad solos Officiales eorundem ad nutum superiorum amovibiles pertineat.* Ubi ultima hæc verba nota, quia, nisi amoveri possint ejusmodi Officiales ad nutum Prælati, ad-

administratio eis concedi non debet, cum hac via facile proprietatis contagio afflari possent, inde in *cit. cap. 6. b.t. prohibetur, ne alicui committatur aliqua obedientia* (quo nomine veniebant Prioratus parvi extra Monasterium constituti. Gonzalez ad *cap. 2. b.t. num. 5.*) *perpetuo possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur, sed cum oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur.*

¶ Illud vero non æque expeditum est, an citra violationem voti paupertatis alicui Religioso nullam administrationem rerum temporalium sui Monasterii habenti *peculium immobile*, hoc est administratio bonorum immobilium, aut annui redditus, qui in *Clem. 1. §. cūque annui de V. S. immobilibus* accensentur, à suo Prælatore ea lege concedi possit, ut dictos redditus ad usus honestos & licitos pro utilitate vel necessitate sua privata expendat, ipsaque administratio concessa à nutu superioris ita dependeat, ut, quocunque tempore rursus auferri, & revocari possit? Affirmativa non paucos habet Patronos, quos inter nominari merentur Navarr. *Comment. 2. de Regular. num. 14. 15. & 18. Comment. 3. num. 27.* Miranda in *Manual. Prælat. tom. 1. quest. 28. art. 8.* Tambur. *de Jur. Abbat. tom. 2. disput. 22. quest. 5.* Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 22. num. 11.* & alii, quos refert & sequitur Barbof. ad *cap. 2. b.t. num. 2. & 3.* Indulgentiiori huic Sententiæ ansam dedisse præter mentem & expectationem suam Alexandrum III. in Concilio Lateranensi III. quod refertur in *cap. 2. b.t.* scribit Thomassin. *veter. & nov. Eccles. disciplin. tom. 1. part. 1. lib. 3. c. 21.*

num. 8. nam, dum ibi Abbatibus concessisset, ut Monachis suis administrationes habentibus aliquid possidendum permittere possent, cum ejusmodi administratio vix aliter geri, atque commode expediri posse videretur, mox hæc licentia ad Monachos nullam administrationem rerum Monasterii habentes extendi cœpit, & modicum peculium ad usum suum, privatum cum venia sui superioris ipsis habere permissum fuit. Ita enim constituere PP. in Concilio Parisiensi Anno 1212. celebrato: *Claustalis quoque aliquid modicum potest ad usum suum habere; ita tamen, si Prælati sui ei specialiter dederit, vel concesserit.* Hac indulgentia nonnihil mollire videbatur Decretum Innocentii III. in *cap. 6. b.t. relatum*, quo admonentur Prælati Regulares, ne in concedendis dispensationibus quoad peculium potestatem sibi temere arrogent, quæ licentia nequidem à se ipso dari posse S. Pontifex arbitratur. Potuisset aliquis illa relaxatio per PP. Concilii Parisiensis facta dissimulari (scribit Thomassinus) *si posset relaxatio ibi stare, ubi incipit.* Interim hæc Sententia præsidium quærit partim in variis Episcoporum & Capitulorum tum Generalium tum Provincialium indulgentioribus Decretis, quæ recenset literatissimus Gersonius, Cancellarius Parisiensis *tom. 1. pag. 659. num. 60.* partim in consuetudine legitime præscripta, qua utique derogari potuit Constitutionibus Ecclesiasticis, si quæ in contrarium extarent. Verum hæc Decreta Capitularia *insida, & minime tuta* vocat Gersonius, & si quandoque factum est, ut per Constitutiones Ca-

Pp

pi-

pitulorum Regularium ejusmodi relaxatio concederetur, prout simile Decretum Capitulare refert Thomassin. *cit. cap. num. 9.* id sane non temere, sed ex regulis prudentiæ factum est, cum satius sit *immedicabile tolerare malum, quam illud inani medendi spe exasperare*, inquit laudatus Thomassinus.

6 Sententia negans, dari posse à Præfato licentiam Religioso privato bona stabilia possidendi etiam ad usus honestos, non minori zelo propugnatur à Molina, Lessio, Zerola, & præ aliis à Fagnano ad *cap. 2. b. t.* fundatur hæc Sententia in *cap. 2. b. tit.* ubi Alexander III. concessionem peculii limitavit & restrinxit ad Officiales Monasterii, dicens: *Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum (en restrictionem) à Communionem removeatur Altaris.* Clarius PP. Concilii Tridentini *Sess. 25. de Regular. cap. 2.* Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad *usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam.* Et quod hæc prohibitio afficiat Religiosos, nulli administrationi Præpositos, verba sequentia declarant, ubi PP. ab hac lege prohibitiva Officiales duntaxat bona Monasterii administrantes excipiunt, dicendo: *Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conventuum ad solos Officiales eorundem, ad nutum superiorum amovibiles, pertineat.* Accedit Decretum Clementis VIII. quod recitat Thomassinus *d. l. num. 11.* ubi jubet dictus Pontifex, ut bona, quæcunque Religiosi sibi acquisivissent, quocunque etiam titulo honesto, bo-

nis Monasterii commisceantur, atque Ætario communi inferantur, nulla relicta potestate superioribus circa prædicta bona dispensanda Religiosis licentiam concedendi. Accedunt plures Declarationes Cardinalium à Fagnano relatæ a *cit. cap. num. 61. & 63.* quibus sensus verborum Concilii Tridentini clarius explicatur, & Sententia Fagnani fortius corroboratur.

Interim stante hac quoque Sententia, Religiosis privatis ex venia sui superioris licet habere, & retinere res mobiles ad usus honestos vel necesarios per claram Decisionem Concilii Tridentini *cit. cap. 2.* *Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superfluum in ea sit, nil etiam, quod necessarium, eis denegetur, hac tamen rursus cum limitatione, ut advertit Thomassinus cit. cap. num. 11.* ut similia bona prius Monasterio incorporentur, & tunc demum ad usus honestos, vel necesarios Religiosis permittantur.

Ex his duabus Sententiis utra eligenda, aut suadenda sit? non ita apicum est. Card. de Luca in *Annot. ad Concil. Trid. discurs. 35. num. 3.* dicit, certam hic Regulam in *hypothesi* statui non posse, quamvis in thesi, theorice, & in abstracto loquendo certum sit juris principium, quod Religiosus professus nil proprium habere possit, in praxi tamen circa usum & dispositionem rerum temporalium cum varent Religionum instituta, & consuetudines, ad has reflectendum esse monet, quas deinde *num. 4. 13. 14. 15. & 16.* tam quoad Moniales, quam viros Regulares recenset, & approbat, sic.

sicque hic Auctor Purpuratus Fagnani rigorem cum Navarro temperat.

9 De Deposito Religiosorum hic nihil attinet dicere. Impugnavit illud tanquam voto paupertatis exitiosum. Bernardus Van-Espen, sed ab hac labe

rursus vindicatum est à Petro Clenaerts in speciali Tractatu, qui inscribitur *Su-
sanna innocens, sive avita Depositorum
Regularium praxis*. Ad quem Regu-
larem lectorem remittimus.

§. II.

De Clausura Regularium, maxime Monialium.

S U M M A R I A.

10. Quid per Clausuram intelligatur. 11. Clausura Monialium est antiquissi-
ma, in variis Conciliis confirmata. 12. Eam egredientes sine rationabili
causa præter reatum peccati mortalis incurrunt excommunicationem lætæ
Sententiæ. 13. Ex certis tamen causis potest iisdem facultas egrediendi
concedi, quæ recensentur. 14. Et quidem ab Episcopo, vel alio loci Ord-
inario. 15. Pœnæ egredientium enumerantur. 16. Claustra Monialium
ingredi omnis conditionis & sexus personis sine licentia speciali Ordinarii
gravissime est prohibita. 17. Potest tamen Abbas hanc licentiam imper-
tiri, si Monasterium Monialium eidem subiectum est. 18. Si causa ingressus
est notoria, licentia in scriptis obtenta opus non est. 19. Qualiter puellis
educationis gratia ingressus concedi possit, exponitur. 20. In Monasteria
virovum alteri sexui ingredi olim prohibitum non erat, bene vero hodie.

10 **P**ER Clausuram Regularem juxta
cap. exiit, qui seminat de V.S. in-
telligitur omne illud spatium,
quod muris, parietibus, & septis Mo-
nasterii ambitur, & clauditur, quo spe-
ctant officinæ, horti, aliaque habita-
cula intra Monasterii septa existentia.
De Sacristia, & Choro ex Donato, &
Pellizario notat P. Reiffenstuel *h. tit.*
num. 27. si extra septa Monasterii col-
locata sint, ipsique Ecclesiæ contigua,
sub Clausura non comprehendi, posse
tamen à superioribus locorum ad ean-
dem reduci.

11 Clausuram Monialium esse anti-
quissimam, temporibus Apostolorum

coævam, docent, & demonstrant tum
Theologi, tum Canonistæ, quos re-
fert clericatur in discord. forens. de re-
gular. discord. 44. num. 1. in specie
Gonzalez ad cap. 22. de rescript. num. 3.
& ad cap. 8. de vit. & honestat. Cleric.
n. 2. ubi ex Concilio Carthaginensi III.
ex Synodo Trullano, ex Concilio
Epaunensi, Cabillonensi, aliisque va-
rios profert Canones, quibus Monia-
lium clausura stabilita fuisse legitur.
Quin, quod jam in veteri lege hujus-
modi clausuræ vestigia extiterint, ex
libro Judith cap. 8. & lib. 2. Machab.
cap. 3. demonstrat Donatus de regular.
tom. 4. tract. 3. quæst. 10. Primis qui-

Pp 2

dem